



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. VII. Remedia contra morbos Plantarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

Quæres, cur aliquando sæviente hyeme intereant ingentes arbores, tenues autem plantæ, uti triticum, servantur illæ sæ? cur etiam quædam plantæ citius frondescent & floreat, quàm aliæ? Resp. ad 1. quia tales arbores poros habent ampliores, qui particulis frigorificis pervii sunt, cum econtra viam iis intercludant tenuiores. Ad 2. dico, id fieri, tum quia est talis pororum & fibrarum in quibusdam dispositio, ut facilius calore solis dilatari possint, tum quia major succi copia in radicum ventriculo per hyemem colligitur, tum quia indigent succo magis aqueo, minúsque concocto. Hinc arbores, quæ habent succum magis aquosum, frondescent citius, quia aquosus humor facilius attenuatur & concoquitur, quàm succus oleosus & spiritosus; hinc nuces, olive, vitæ tardius fructus promunt.

§. VII.

Remedia contra morbos Plantarum.

Axioma notum, contraria contrariis curantur, etiam plantis convenit: hinc contra nimium solis ardorem plantis medemur per umbram; ubi nimia est siccitas, per irrigationem; si frigidior est aura, plantas tegimus: quanquam remedia contra enumeratos superius morbos sæpius vel non sint in nostra potestate, vel difficiliora, quàm ut commodè applicari possint. Ut tamen notatum est, potissimus arborum morbus est earundem scabies aut lepra, quæ oritur ex musco cortici adnascente, eodémque modo se habet in regno vegetabili, sicut infecta in regno animali: constat enim muscus veluti plantis minoribus, quarum 37. species numerat D. Vaillant in solo agro Parisiensi; arboribus sunt perniciosissimæ, dum iis surripiunt humorem salivarium, & propterea parasitæ dicuntur. Plerumque ortum habent, ut de animalculis dicetur, à seminibus exiguis, quæ huc illuc vento transferuntur, & inhaerent lignis putridis, ruderibus, tectis, & potissimum arborum corticibus propter eorum scabritiem.

Muscum abraderè, tempore præsertim pluvio, huic morbo quidem est remedium, sed tædiosum, nec penitus extirpat malum, succrescentibus denuò parasitis: aliud excogitavit D. Ressons; vult nempe, ut mense Martio vel Aprili cortex incidatur usque ad lignum trunci, per lineam rectam à ramis inferioribus usque ad terram, & istud, quantum fieri potest, ex parte soli opposita, ut nempe fissura, quæ post incisionem primò ampliatur, facilius dein coalescat. Experientia docet, remedium esse proficuum; nam post incisionem humor salivarius stagnans in cortice facilius circulatur, & apertis semel viis motum suum continuat, etiam postquam cicatrix coaluit: plantæ verò parasitæ subtracto alimento pereunt; cum præterea per humorem sursum ascendentem impediuntur protuberantiæ & inæqualitates, quas humor stagnans causat in cortice, eidem non tam facilè inhaerent parasitarum semina, & felicius crescit arbor. Dantur etiam plantæ parasitæ infra terram, quæ aliis plantis, uti croco, mortem causant: & hæc quoque, si alicubi natæ sint, extirpandæ sunt, sulcando & vertendo terram.



§. VIII.